



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2012-2014

Quintiliano piange la morte del secondo figlio

(M. F. QUINTILIANI *Institutio oratoria*, VI, Praefatio, 9-13)

Una post haec Quintiliani mei spe ac voluptate nitebar, et poterat sufficere solacio. Non enim flosculos, sicut prior, sed iam decimum aetatis ingressus annum certos ac deformatos fructus ostenderat. Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes, numina mei doloris, has me in illo vidisse virtutes, non ingenii modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil praestantius cognovi plurima expertus, studiique iam tum non coacti (sciunt praeceptores), sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis, ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis metus, quod observatum fere est celerius occidere festinatam maturitatem, et esse nescio quam quae spes tantas decerpit invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum est nostra provehantur. Etiam illa fortuita aderant omnia, vocis iucunditas claritasque, oris suavitas et in utracumque lingua, tamquam ad eam demum natus esset, expressa proprietates omnium litterarum. Sed hae spes adhuc: illa matura, constantia, gravitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione mensum octo valetudinem tulit! Ut me in supremis consolatus est! Quam etiam deficiens iamque non noster ipsum illum alienatae mentis errorem circa scholas, litteras habuit! Tuosne ego, o meae spes inanes, labentis oculos, tuum fugientem spiritum vidi? Tuum corpus frigidum exsanguis complexus, animam recipere auramque communem haurire amplius potui, dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus? Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum propius admotum, te avunculo praetori generum destinatum, te [omnium spes] avitae eloquentiae candidatum, superstes parens tantum in poenas: et si non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea aetate; nam frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2014-2016

La nobiltà della causa

(M. T. CICERONIS *De Oratore* II, 334-335)

Ergo in suadendo nihil est optabilius quam dignitas; nam qui utilitatem petit, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem, sed vincit utilitas plerumque, cum subest ille timor ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri. Controversia autem est inter hominum sententias aut in illo, utrum sit utilius, aut etiam, cum id convenit, certatur, utrum honestati potius an utilitati consulendum sit; quae quia pugnare inter se saepe videntur, qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, vectigalium, praesidi militum, ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum; qui ad dignitatem impellit, maiorum exempla, quae erant vel cum periculo gloriosa, conliget, posteritatis immortalem memoriam augebit, utilitatem ex laude nasci defendet semperque eam cum dignitate esse coniunctam.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2016-2018

S. GREGORII MAGNI PAPE, *Dialogorum liber II, cap. XXIII*

Non longe ab eius monasterio duae quaedam sanctimoniales feminae, nobiliori genere exortae, in loco proprio conversabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitae usum praebebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se ceteris aliquid fuisse meminerunt, necdum praedictae sanctimoniales feminae perfecte linguam sub habitus sui freno restrinxerant et eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium praebebat, incautis saepe sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui, cum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem quantasque pateretur verborum contumelias enarravit. Vir autem Dei, haec de illis audiens, eis protinus mandavit, dicens: «Corrigite linguam vestram, quia, si non emendaveritis, excommunico vos». Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed intentando. Illae autem a pristinis moribus nihil mutatae, intra paucos dies defunctae sunt atque in ecclesia sepultae. Cumque in eadem ecclesia missarum sollemnia celebrarentur atque ex more diaconus clamaret: «Si quis non communicat, det locum», nutrix earum, quae pro eis oblationem Domino offerre consueverat, eas de sepulcris suis progredi et exire de ecclesia videbat. Quod dum saepius cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exhibant foras atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam rediit, quae vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe se communionem privare dixerat, nisi mores suos et verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi moerore indicatum est. Qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: «Ite et hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatae non erunt». Quae dum oblatio pro eis fuisset immolata et a diacono iuxta morem clamatum est, ut non communicantes ab ecclesia exirent, illae exire ab ecclesia ulterius visae non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia, dum inter eos qui communionem privati sunt minime recederent, communionem a Domino per servum Domini recepissent.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE
DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2018-2020

A

S. HIERONYMI, *Epistula VIII*

Ad Niceam hypodiaconum Aquileiae

Turpilius comicus tractans de vicissitudine litterarum: sola, inquit, res est, quae homines absentes praesentes faciat. Nec falsam dedit, quamquam in re non vera, sententiam. quid enim est, ut ita dicam, tam praesens inter absentes, quam per epistulas et adloqui et audire quos diligas? Nam et rudes illi Italiae homines, quos cascos Ennius appellat, qui sibi, ut in Rhetoricis Cicero ait, victu fero vitam requirebant, ante chartae et membranarum usum aut in dedolatis ex ligno codicellis aut in corticibus arborum mutua epistularum adloquia missitabant; unde et portitores earum tabellarios et scriptores a libris arborum librarios vocavere. quanto igitur nos expolito iam artibus mundo id non debemus omittere, quod sibi praestiterunt, apud quos erat cruda rusticitas et qui humanitatem quodammodo nesciebant! Ecce beatus Chromatius cum sancto Eusebio non plus natura quam morum sibi aequalitate germano litterario me provocavit officio. Tu modo a nobis abiens recentem amicitiam scindis potius, quam dissuis, quod prudenter Laelius vetat [Cic. Lael. 76]; nisi forte ita tibi exosus est oriens, ut litteras quoque tuas huc venire formides. expergiscere, expergiscere, evigila de somno, praesta unam chartae scedulam caritati inter delicias patriae et communis, quam habuimus, perigrinationis aliquando suspiria. Si amas, rescribe; si irasceris, iratus licet scribe. Magnum et hoc desiderii habebo solamen, si amici litteras vel indignantis accipiam.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2018-2020

B

AURELII AUGUSTINI, *Epistula XL*, 1-2

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis observando atque
amplectendo fratri et compresbytero Hieronymo Augustinus.

1. Habeo gratiam quod pro subscripta salutatione plenam mihi epistolam reddidisti sed breviorum multo, quam ex te vellem sumere, tali viro, a quo, tempora quantalibet occupet, nullus senno prolixus est. Quamquam itaque nos negotiorum alienorum, eorumque scularium, curis circumstemur ingentibus, tamen epistolae tuae brevitati facile non ignoscerem, nisi cogitarem quam paucioribus verbis meis redderetur. Quare adgrede, quaeso, istam nobiscum litterariam conlocutionem, ne multum ad nos disiungendos liceat absentiae corporali, quamquam simus in Domino spiritus unitate coniuncti, etiamsi ab stilo quiescamus et taceamus. Et libri quidem, quos de horreo domini elaborasti, paene totum te nobis exhibent. Si enim propterea te non novimus, quia faciem tuam corporis non vidimus, hoc modo nec ipse te nosti; nam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es nisi quia nosti animum tuum, et nos eum non mediocriter novimus in litteris tuis, in quibus benedicimus Domino, quod tibi et nobis omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit. **2.** Liber quidam tuus inter caetera non diu est ut venit in manus nostras. Quae sit eius inscriptio, nescimus adhuc; non enim hoc codex ipse, ut adsolet, in liminari pagina praetendebat.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2020-2022

S. AMBROSII *Epistula* XXXVII, 1-3

Ambrosius Sabino

1. Transmisi petitem codicem scriptum apertius atque enodatius, quam ea scriptum est, quam dudum direxi; ut legendi facilitate nullum iudicio tuo afferatur impedimentum. Nam exemplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatem scriptus est; non enim dictamus omnia, et maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti; tum quia ea quae dictantur, impetu quodam prouunt, et profluo cursu feruntur. **2.** Nobis autem quibus curae est senilem sermonem familiari usu ad unguem distinguere, et lento quodam figere gradu, aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo; ut non tam deflare aliquid videamur, quam abscondere: neque alterum scribentem erubescamus, sed ipsi nobis conscii sine ulle arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus, quae scribimus. Velocior est enim lingua quam manus, dicente Scriptura: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis (psalm. 44 2). **3.** Sed forte dicas, quia velocitatem ad scribentem retulit. Non te fallit tamen id significari, quod scribae velociter scribentis celeritas sola possit linguae propheticae excipere sermones. Apostolus quoque Paulus sua scribebat manu, sicut ipse ait: Mea manu scripsit vobis (Gal. VI 11); ille propter honorificentiam, nos propter verecundiam.



SCUOLA VATICANA
DI PALEOGRAFIA, DIPLOMATICA
E ARCHIVISTICA

PROVA DI AMMISSIONE AL CORSO BIENNALE DI PALEOGRAFIA DIPLOMATICA E ARCHIVISTICA

BIENNIO 2022-2024

Preferenza di persone

(LOTARIO DE' CONTI DI SEGNI, *De miseria condicionis humane*, II, 4)

Vae vobis qui, corrupti prece vel precio, qui, tracti amore vel odio, «dicitis bonum malum vel malum bonum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras», «mortificantes animas que non moriuntur et vivificantes animas que non vivunt». Vos autem non attenditis merita causarum, set personarum; non iura, set munera; non iusticiam, set pecuniam; non quod ratio dictet, set quod voluntas affectet; non quod lex sanctiat, set quod mens cupiat. Non inclinatis animum ad iusticiam, set iusticiam inclinatis ad animum, non ut quod licet hoc libeat, set ut liceat hoc quod libet. Nunquam in vobis ita simplex est oculus ut totum corpus sit lucidum, set semper aliquid admiscetis fermenti quo totam massam corrumpitis. Pauperum causam cum mora negligitis, divitum causam cum instancia promovetis; in illis rigorem ostenditis, cum istis ex mansuetudine dispensatis; illos cum difficultate respicitis, istos cum favore tractatis; illos negligenter auditis, istos subtiliter ascultatis. Clamat pauper et nullus exaudit; loquitur dives et omnis applaudit. «Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes producit; pauper locutus est, et dicunt: "Quis est hic?", et si offenderit, subvertent illum». «Clamat vim paciens et non est qui exaudiat; vociferatur et non est qui iudicet». Si forte pauperum causam suscipitis, illos remisse fovetis; cum autem divitum causam assumitis, illos pertinaciter adiuvatis. Pauperes despicitis, divites honoratis; istis reverenter assurgitis, illos despiciabiliter conculcatis. «Si introierit in conventu vestro vir aureum habens anulum in veste candida, introierit et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste preclara et dixeritis ei: "Sede hic bene", pauperi vero dicatis: "Tu sta illic" aut "Sede sub scabello pedum meorum", nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum?». De vobis enim et contra vos dicit propheta: «Magnificati sunt et ditati, incrassati sunt et inpinguati; causam pupilli non dixerunt, iudicium pauperum non iudicaverunt». Set in lege precipitur: «Nulla erit distancia personarum: ita parvum audietis ut magnum. Nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est». «Non est enim personarum acceptio apud Deum».